

DE PROPERTIO 4,3,49–50

In tertia libri quarti elegia Arethusa uxor Lycotae marito *mandata* mittens (v. 1) valde de marita eius fide (v. 11) dubitat. Propterea eum obsecrat, ut incorrupta sui conservet foedera lecti (v. 69). Vehementer maritum amans timet, ne qua puella per eius colla notas det sibi plorandas (vv. 5–26). Cur tam magno mariti amore flagret, versibus 49 et 50 explicat scribens:

*omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior:
hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.*

Verba *aperto in coniuge* mea sententia verbis ,furtivo in coniuge' opponuntur. Apertus coniunx maritus legitimus est, furtivus autem coniunx amans, qui mulierem aliquam furtive amat et ab ea quoque furtive amatur. Furtivus amor idem atque amorem clandestinum vel occultum significat. Ita in Plauti *Curculione* (49) Palinus servus exclamat: *malu' clandestinus est amor, damnumst merum.* Id dicens de amore cogitat, quo Phaedromus adulescens Planesium, meretricem a lenone custoditam, amat. Adulescens servo assentitur. Ait enim in versu sequente: *est hercle ita ut tu dicis.* In Ovidii *Fastis* 2,81 Delphin *occultis felix in amoribus index* appellatur. Ibi poeta de furtivis amoribus inter Neptunum et Amphitriten agit. Adiectivum furtivi ipsum, vi amatoria adhibitum, apud Tibullum invenitur. In versu enim 1,5,7 verba *furtivi foedera lecti* et in 1,9,55 *furtivo ... usu*, scilicet Veneris, leguntur. Secundo loco poeta de uxore, quae marito inscio hoc usu amantem lassat, loquitur. Adiunguntur Ovidii versus 3,3,55–56 in *Epistulis ex Ponto: an sit ab his omnis rigide summota libellis* (Artis Amatoriae), *quam lex furtivos arcet habere viros?* Furtivi sunt viri, qui contra legem amorem furtivum erga matronas vel puellas honestas exercent. Hic igitur furtivus vir, etiamsi non expressis verbis, aperto coniugi opponitur. Etiam Propertius de furtivo amore dicit. In versibus enim 3,13,33–34 puellas aetate aurea *furtiva per antra*, id est furtive per antra, viros silvicolas osculatas esse narrat.

Qui furtive amat, furta amatoria committit. Ita Propertius in versu 2,30,28 Musas *canere antiqui dulcia furta Iovis* dicit et in 2,2,4 vim amoris agnoscens ignoscit *pristina furta Iovis.*

Addendum est distichon, quo in *Heroidum* elegia sexta Hypsipyle iniuriam Iasonis querens *non ego*, ait, *sum furto tibi cognita, pronuba Iuno / adfuit et sertis tempora vinctus Hymen* (vv. 43–44).

Loco autem nostro Venus ipsa amorem coniugalem fovet, quia facem amoris legitimi, ne extinguitur, ventilat. Versu 50 Venus a poeta amatorio, ut eum decet, in locum pronubae Iunonis substituitur. A primo autem saeculo p. Chr. n. exeunte Venerem ipsam quoque pronubae muneribus functam esse sibi persuadere possunt, qui Stat. silv. 1,2,11–13, Claud. carm. min. 31,128–129, CIL 2, 1111 legunt. Propertium de face a Venere ventilata loquenter matrimonium significare etiam e versu 33 elegiae 4,11 intellegitur, quo Cornelia tempus nuptiarum in memoriam revocat his verbis: *facibus cessit praetexta maritis*. Id elucet quoque e versu 13 elegiae nostrae ipsius, ubi Arethusa de face loquitur, quae ei praelata est, cum sponsus eam domum deduxit: *quae mihi deductae fax omen praetulit...¹*. Uxor igitur verbis *aperto in coniuge* uno tempore maritum legitimum indicat et virum oppositum, id est furtivum, adumbrat. Verbo enim coniugis de industria utitur, quia eo non solum maritus et uxor, sed etiam amantes significantur. Ita Briseis, quae ab Achille amatur, non autem eius uxor est, a Propertio et Ovidio coniunx Achillis appellatur (Prop. 2,8,29 et Ov. her. 8,85–86)². Inde sequitur, ut apertus coniunx nihil aliud sit nisi maritus legitimus.

Cum verbis Propertianis *aperto in coniuge* conferendi sunt Catulli epithalamii 61 versus 202–205. Ibi novus maritus Manlius rogatur, ut thalamum, ubi sponsa eum exspectat, intret. Poeta eum exhortatur dicens: ... *bona te Venus / iuverit, quoniam palam /*

1) Cf. etiam Valerium Flaccum 2,343–345: *stat maerens atavos reges reges que maritos / Thressa manus, quaecumque faces timuisse iugales / credita nec dominae sanctum tetigisse cubile*.

Hoc loco agitur de mulieribus Thraciis, quae a viris Lemniis in eorum patriam deductae erant, sed maritis a Lemniis occisis fideles corpora cum victoribus iungere renuerunt. Ex hac re ‚faces iugales timere‘ idem significare ac ‚fidem uxoriā servare‘ patet. Ante Valerium Flaccum Ovidius in *Heroidum* epistula sexta (41–42) Hypsipylam Iasonem vituperantem ab eo querere facit: *Ubi conubialia iura / fax que sub arsuros dignior ire rogos?*, facem scilicet nuptiarum significantem. Duobus versibus post ea id confirmat hoc disticho: *At mibi nec Iuno, nec Hymen, sed tristis Erinys / praetulit infauistas sanguinolenta faces*.

2) Cf. quod scripsit I. Passeratius in pagina 592 editionis Catulli, Tibulli, Properti, Lutetiae Parisiorum anno 1608 editae: „Addidit [sc. Propertius] *aperto*, quia etiam amantes citra legitimas nuptias se coniuges vocant“. Verbum coniugis voci Graecae ἄλοχον respondet, quae et uxorem et concubinam significat. Ita apud Homerum, Il. 9,336, Achilles Briseidem ἄλοχον θυμαρέα appellat. Poetae Latini ἄλοχον verbo coniugis reddunt.

quod cupis, cupis, et bonum / non abscondis amorem³. Nemo est, quin videat his versibus, imprimis verbis *palam* et *non abscondis*, amorem legitimum *aperto in coniuge* significari. His enim verbis paene eadem vis est atque adiectivo aperti, quo Propertius utitur. *palam* synonymum esse adverbii *aperte* patet.

Quod ad facem a Venere ventilatam apud Propertium attinet, versus 50 comparandus est Valerii Aeditui fragmento 2 M., cuius versus 5–6 sunt hi: *At contra hunc ignem Veneris, nisi si Venus ipsa, / nulla est quae possit vis alia opprimere.* Ut apud elegiacum Venus ipsa, fax amoris ut vivat, ita in epigrammate Venus ipsa quoque, ne ignis suus opprimatur, facit. Etiam versus 197–199 Catulli carminis 61 cum Propertii versu 50 conferrendi sunt. Ibi enim poeta novum maritum hoc modo adloquitur: ... *nibilo minus* (sc. quam sponsa) / *pulcher es, neque te Venus / neglegit...*, id est Venus maritum eximia pulchritudine exornat⁴. Ad Catulli locum proxime accedit Tibulli elegia 2,3,29–30: *Felices olim, Veneri cum fertur aperte / servire aeternos non puduisse deos.* Poeta hic de tempore agit, quo, ut Catulli verbis, quae in carmine 64,385–386 leguntur, utar, *sese mortali ostendere coetu / caelicolae nondum spreta pietate solebant.* Tunc igitur dei Veneri aperte servivisse dicuntur. Verba autem *Veneri servire* nihil aliud significant atque amare. Ergo Tibullus dicere voluit homines illo tempore felices fuisse, quia dei eos aperte, scilicet haud furtive vel occulte, amarent. Adverbium *aperte* non quidem ad ius ipsum pertinet, sed certe est notio, ut verba *non puduisse* monstrant, qua mores probabantur. Nam pudor deos aetate aurea non impediebat, quo minus Veneri aperte servirent.

In eadem elegia etiam versus 71–72 sunt digni memoratu: *Tum, quibus aspirabat Amor, praebebat aperte / mitis in umbrosa gaudia valle Venus.* Amantibus igitur aetatis aureae Venus occasionem aperte, haud furtive, concubendi dabat. Nemo enim tum puellas custodiebat, quia *nullus erat custos* (73). In voluptatibus amoris fruendis ab omni metu liberae erant. Cui Amor favebat, aperte amare licebat. Ei, ut ita dicam,

3) Catullum de dea amoris coniugalis loqui bene vidit L. Alfonsi, Nota Catulliana, Aevum 41, 1967, 153.

4) Cf. Hymn. Hom. in Venerem 1–2: ... βροτοῖσι / μείλιχα δῶρα δίδωσι ...; Sappho fr. 112 Voigt, 1 et 3–5: δὲ βιε γάμβρε ... / ... σοὶ χάριεν μὲν εἶδος, δόπτατα δ' ... / μέλλιχ', ἔρος δ' ἐπ' ὑμέρτῳ κέχυται προσώπῳ / ... τετίμακ' ἔξοχά σ' Ἀφροδίτα.

coniunx, id est amata, aperta erat. Apud Ovidium (her. 4,144) Phaedra Hippolyto scribit haec: *Oscula aperta dabas, oscula aperta dabis.* Hic poeta hypallage usus *oscula aperta* pro *aperte*, id est haud occulte, *dabas* ponit.

Phaedra non quidem aperta oscula legitima futura esse, sed ea antea legitima fuisse significat. Oscula autem futura spectantibus legitima esse videbuntur. Ovidius ambiguitate adiectivi usus ludit.

His dictis patet me ab eis viris doctis, qui apertum coniugem apud Propertium idem ac praesentem significare volunt⁵, dissentire. Contra ad eos accedo, qui voci aperti eandem vim ac voci legitimi esse putant⁶.

Haec recta interpretatio etiam in H. Mersmann, Quaestiones Propertianae, Paderbornae 1931, 45 legitur. Quam, quia Latine conscripta et brevis est, totam transcribere placet: „In versu 49 Propertium ,aperto‘ scripsisse censeo, quod omnibus codicibus traditum est. Hoc ergo versu amor furtivus atque legitimus comparantur⁷. Lachmanni conjecturam ,aperte‘, quam – iniuria, si quid sapio¹¹⁷ (117: Cf. Cic. *de domo sua* 29 „apertis inimicis“) – ,apertum coniugem‘ dici posse negans proposuit, repudiandam esse puto, praesertim cum sententiae perspicuitas ea minuatur“. Non solum ita perspicuitas, sed etiam vis sententiae nimis minuitur. Adverbium enim ,aperte‘, scilicet pro ,manifesto‘ positum, paene nihil ad sensum adiungit, cum adiectivo aperti comparatio inter apertum et furtivum coniugem, quod stilo presso Propertii proprio optime convenit, tacite contineatur.

H. Merklin⁸ ab hac interpretatione, cuius mire ne mentionem quidem facit, longe discedit. Recte *aperto in coniuge* idem fere ac ,cum vel si coniunx apertus est‘ significare contendit. Deinde autem perperam addit apertum coniugem esse eum, ad quem uxori

5) Sunt autem, quoad sciam, ex ordine temporis hi: E. Reitzenstein, W. A. Camps, H. Merklin, de quo infra, K. W. Weeber, L. Richardson, Jr., *Aper-* *tum*, ut ipsi concedunt, hac vi usurpatum nusquam apud scriptores et poetas Latinos invenitur.

6) Inter alios nominandi sunt I. Passeratius (1534–1602), M. Rothstein, H. Mersmann, H. E. Butler et E. A. Barber, D. R. Shackleton Bailey, G. Luck, E. Pasoli, P. Fedeli, B. Mojsisch.

Etiam in Thesauro Linguae Latinae II 221, vox aperti apud Prop. 4,3,49 inter eos locos laudatur, quibus translate idem ac non occultum significat. In lexico, cui titulus Oxford Latin Dictionary, 146–147, verba Propertiana *aperto in coniuge* bene ita explicantur: „(of a spouse) openly or officially recognized“.

7) Idem sentit L. Alfonsi, RhM 110, 1967, 176: „In Properzio IV 3,50 il pentametro ... si riferisce all’ amore legitimo, alimentato da Venere e superiore ad ogni altro“.

8) Hermes 96, 1968, 467–468.

aditus pateat. Perperam dico. Nam intellegi non potest, cur Arethusa Lycotam plus amet, cum eum adierit vel adire possit, ac si eum consequi prohibetur. Flagrans amor, quo erga maritum longinquum se incensam esse in elegia confitetur, eius castris aditis non maior fieret. Merklin contendit apertum hac vi praeditum etiam a Lucano 1,465 et a Tacito, Germ. 1,1 et Agr. 22,1 usurpari. Re vera autem adiectivum aperti in Lucano ad orbem, scilicet terrarum, pertinet et verbum aperiendi in Tacito gentes ex ignotis notas reddi significat. Apud Livium 3,15 et 27,2 aperire de rebus et hominibus dicitur, qui conspicui fiunt. Iure igitur J. H. Dee⁹ de locis similibus a Merklin laudatis dubitat.

Confidendum quidem est apertum coniugem pro legitimo vel apertum amorem pro amore coniugali positum alibi apud scriptores et poetas Latinos non legi. Sed Propertius apertum coniugem pro legitimo scribere potuit, quia apertus coniunx furtivo viro, de quo Ovidius in *Epistulis ex Ponto* dicit, et apertus amor clandestino, de quo Plautus agit, vel occulto, de quo Ovidius, opponitur. Contra de notione aperti ad notionem praesentis ratione perveniri non potest.

Ut Ovidius furtivos viros eos, qui furtive amant, ita Propertius apertum coniugem eum, qui aperte id facit, appellat.

A. Allen¹⁰ poetam in versu nostro ὑπαλλαγὴν usurpavisse opinatur. Ideo hunc verbis „sed (amor qui sit) apertus in coniuge (est) maior“ explanari posse et adiectivum aperti idem atque „openly exercised“ significare. Quamquam adiectivum aperti cum voce amoris coniunctum non minus inusitatum est quam ad vocem coniugis relatum, verba „apertus amor“ naturaliter unum cum altero coniunguntur et facilia sunt intellectu, cum difficulter, quinam sit apertus coniunx, comprehendatur. Allen igitur recte Propertium hypallage usum esse censem.

Aliud quoque accedit, cur poetam hic non de maiore erga maritum praesentem quam erga absentem amore, sed de amore maiore erga coniugem legitimum quam erga amantem cogitavisse putemus. Tota enim elegia vehementissimum amorem uxoris Arethusa, quo in maritum longinquum incensa est, spirat. Sua igitur non interest, utrum amor praesentis mariti maior sit quam erga absentem necne. Contra in versibus 49–50 ea flagrantem amorem, quo capta maritum longinquum in castra sequi cupit (43–48), explicat affirmans amorem erga coniugem legitimum maiorem esse

9) TAPhA 104, 1974, 91 adn. 19.

10) Hermes 117, 1989, 483–484.

quam alia amoris genera, in quae imprimis amor furtivus comprehenditur. Significare vult se, si quis amans Lycotas, non maritus suus esset, eum multo minus amaturam esse. Sin Arethusa amorem marito praesente maiorem esse dicere vellet, cur versibus 51 et 52 rhetorice quaereret, cui sibi usui esset longe ab eo absenti purpura crystalloque ornari, non intellegeretur. Hoc enim modo tecte, quanto desiderio coniugis teneatur, confitetur¹¹.

Aretii

Godo Lieberg

11) Interpretatio mea his, quae viri docti H. E. Butler et E. A. Barber ad versus 49–52 in commentario, Oxonii anno 1933 edito, scribunt, confirmatur. Ii autem, quo modo versus nostri cum elegiae partibus praecedente et inseguente contexantur, bene explicant. Confer textum Anglicum ipsum: „49–50: The greatest love is wedded love for a man who is openly acknowledged as one's husband. 51–52: There is no break in the sense as some have held. She has just been saying that she would follow him to the wars were it allowed. She continues: ,For what good is it staying here in forlorn luxury? ... For to what purpose now should I shine in Tyrian purple or adorn my hand with a crystal ring?“